



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De diaconibus, qui presbyteris anteponunt. ccxxii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**

*De officijs & ministerijs septem diaconorum cum subdiaconibus, & sequentium ordinum ministris obseruandis. Cap. CCXVIII.*

**S**EPTEM ergo diaconi sint in vrbe Roma per septem regiones ciuitatis, sicut à patribus accepimus, qui per singulas hebdomadas & dominicos dies, atque festiuitatum solennia, cum diaconibus & acolytis, ac sequentium ordinum ministris, iniuncta sibi obseruent ministeria, & parati omni hora sint ad diuinum officium, & quicquid eis iniungitur peragédú. Similiter & vobis prout opportunum fuerit, per singulas ciuitates est faciédum, vt diuinum absque vlla mora, aut negligentia studiosè ac solenniter agatur officium.

*Ex epist. Fabiani papae, ca. 2.*

*De numero certo diaconorum. Cap. CCXIX.*

**D**iaconi septem debent esse iuxta regulá, licet & valde magna sit ciuitas. Id ipsum autem & Actuum apostolorum liber insinuat.

*Ex cõcil. Neocesa. cap. 14.*

*De eadem re. Cap. CCXX.*

**D**iaconi septem esse debent secundum regulam, quãuis magna sit ciuitas. Cui regulæ autoritas erit liber Actuum apostolorum.

*Ex cõcil. episcoporũ, qui in Ancira & Casaria conue-*

*Vt diaconi coram presbyteris non sedeant. Cap. CCXXI.*

*nerunt, cap. 9. Ex cõcil. Laodicẽsi, ca. 20.*

**Q**UOD non oporteat diaconum coram presbytero sedere, sed iussione presbyteri sedeat. Similiter autem & diaconis honor habeatur ab obsequentibus, id est, à subdiaconis, & omnibus clericis.

*De diaconibus, qui se presbyteris anteponunt. Cap. CCXXII.*

**N**onnulli diacones in tantam erumpunt superbiam, vt sese presbyteris anteponant, atque in primo choro ipsi priores stare præsumant presbyteris in secundo choro constitutis. Ergo vt sublimiores sibi presbyteros agnoscant, tam hi, quàm illi in vtroque choro consistant.

*Ex cõcil. Toletan. cap. 39.*

*Vt exorcistæ energumenis manus imponant. Cap. CCXXIII.*

**O**MNI DIE exorcistæ energumenis manus imponant.

*Ex cõcil. carthagi ca. 90*